

academiam nostram a sua professione celebriorem reddere, de exhaustis sumtibus conquaeratur et petere: sic eum revocari ad operas ordinarias ad certum tempus intermissas, ut vel stipendium annuum centum quadraginta florenorum augeatur vel alio quodam beneficio collegiaturae sumptus illius sublevarentur deque eo, quam fieri posset celerrime, nostram ei voluntatem nomine communitatis artium aperiremus.

C 228. Respondi ego hoc negotium totius consilii facultatis esse. Ne vero in mora forem doctori Bornero, qui properanti calamo domino Rhetico respondere contendebat, confestim convocavi universos senatores communitatis philosophicae. Sic rem, ut gesta mecum erat, proposui. Qui prudenter constituerunt id esse respondendum Bornero ius conferendi collegiaturas nullum habere facultatem sicque exhaustum esse aerarium facultatis, ut nunc quidem ne[c] illi stipendium augere nec polliceri possint. Summam vero omnium illius esse expectationem sicque non dubitare facultatem ex ea, qua benevolentia hunc complexa foret, de illius prospero et libenti ad eam reditu ac petere, quo ita huc iter institueret, ut elapsis Nonis Maii suam obiret provinciam, cum in hoc genere studiorum eximii cuiusdam professoris carere diutius non posset academia nostra. Haecque sic per me relata sunt ad clarissimum dominum Bornerum, qui cum probaret consilium et responsionem facultatis artium, promisit hac in parte se omnia summa fide et diligentia acturum esse. Id vero factum esse non dubito.

Mai 7.

VIII. Idibus Aprilis instituta fuit deliberatio de diligentiore administratione aedium communitatis. Certo enim ad consilium eiusdem relatum erat magistrum Benedictum Pitticherum Pirnensem, qui harum prefectus et curator fuisset, in Christo pie defunctum esse, sicque illud quasi primum fuit caput, census quomodo et qualiter hybarni temporis exigendi essent. Concordi autem voluntate in hanc descenderunt sententiam universi tunc temporis presentes senatores facultatis: ab iis, qui ad initia belli inhabitassent collegium — tumultuationes enim exortae fuerunt ultimis Kalendis Ianuarii —, pro rato temporis, i. e. pro quadrante anni, exigendum censum, ab aliis vero, qui et hic commorati essent quique suas res quasi depositas reliquissent in collegio, petendum esse pro custodia totum censum dimidiati anni idque onus et molestiam vel ad fideiussores vel ad haeredes aut etiam utrosque referendum esse. Reliqua vero capita, scilicet quis in defuncti locum deligendus esset, et cum iis agenda, qui ex cerdonibus et coriariis inhabitarent collegium, talia sunt visa, quae omnino in spe tantum pacis et inconstantia Martis differrentur. Haecque, quia in abitum magistratus nostri agitatae fuerunt, commissa est diligens curia et administratio omnium successorum meo. \*

Apr. 6.

1547  
Jan. 31.

### 1547 Sommersemester. 276. Decan Heinrich Coerdes von Braunschweig.

N 114. Henricus<sup>1)</sup> Coerdes Braunschwigensis, bonarum artium ac philosophiae magister, collegii principis collega, communitatis literariae decanus consentientibus electorum suffragiis electus est xv. Calendas Maii anno post natum Christum, humani generis assertorem, millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, et quos subscriptos vides officiales istius muneris, executores, clavigeros fideles in negotiis communitatis artium sibi adiunctos habuit:

Apr. 17.

<sup>1)</sup> Der Eingang fehlt in C gänzlich. Eine Seite ist dafür freigelassen worden.